



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

26. Dies Aprilis. Gratiarum cessat discursus, ubi recursus non fuerit.
Sanctus Bernardus serm. 1. in capite lejunii.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

Aprilis.

Tessera.

315

gere. Itaque maneat altâ mente sepultum hoc me-
trum, ne ingratis incurras probrum :

*Lex & natura, & cælum, Deus, omnia jura
Damnat ingratum, insusto quasi fidere natum.*

26. DIES APRILIS.

Gratiarum cessat discursus, ubi recur-
sus non fuerit. *Sanctus Bernardus serm. i.
in capite Iejunii.*

Ingrati. I. **I**ngratitudo in homines est vitium ma-
tudo er-
ga Deum.

Ingratitudo in homines est vitium ma-
gnum, & intolerabile : in hominum
Conditorem, est maximum, & incom-
parabile. Quis non stupeat, vel potius
non horreat? Hominum alias pessimorum, per exigua
beneficia, nos movet ad benevolentiam, & obsequio-
rum promptitudinem : & interim immensa Naturæ
munificentissimæ beneficētia, ut grati simus, nos non
tantum non monet, sed nec docet. Quid hoc mon-
stri? si homo nobis, vel oculum dedisset, imò vel datū
vitio aliquo curasset; pro beneficio tantillo, totum, ut
grati essemus, impenderemus & corpus, & animum:
Deus totum hominem fecit, imò refecit, nec æstima-
museum beneficium. An naturā perdit aqua, quod in
mari sit, non in exiguo poculo? An donum aliquod
amittere naturam beneficii, quia Deus est auctor, cuius
natura est benefacere? Purior est aqua in fonte, quam
in cloaca; sic & puriora sunt beneficia Dei, quam ho-
minum, qui plerumq; corrumpunt naturā beneficii.
Cur igitur munera anittent privilegium, & reveren-
tiā suā, quod fiant à Deo: quæ si facta fuissent à
vili aliquo homine multò minora; nisi grati essemus,
non audiremus securā fronte, esse corā hominibus,

sed

sed puderet nos : & tamen , quia facta sunt à Deo, impunè sumus ingrati , & coram Deo , & Angelis audemus sine pudore comparere. Estne ista infelicitas beneficii, factum fuisse à felicitate summa ?

II. Forsan ignoras Dei beneficia , & ideo tardus es in referenda gratia. Nusquam, nec nunquam te potes movere , quin ubique , & semper occurrant tibi Dei beneficia. Cælum nobis dat vitam, astra lucem, & calorem, nubes imbreem, aer motum, & benignam aspirationem , crystalla rupes, aurum montes, sylvas arbores, flores odores, apes mella, oves vellera, vites ambrosiam, ostrea uniones, maria gemmas, purpuram, pisces; blatam, vermes, multæ animantes, carnem. Totus mundus veluti horreum est suburbium, quo, Divina Bonitas hominibus, tanquam Dominus providit ad beatæ vitæ propagationem. Cur igitur non æstimamus tot dona ? cur non amamus tot donorum largitorem ? Grati sumus erga latrones , quia non penitus spoliarunt nos : imò erga canes , quia latrando , vel mordendo custodiunt nostra, & ingrati sumus in eum, à quo accepimus non modò multa, & magna, sed omnia, & ne illa amittamus, perpetuò servat ? Grato in eum sumus animo , qui nobis in quacunque opitulatus est necessitate. Quæ major necessitas, quam nihil habere, nihil esse ? Tunc Deus nobis subvenit, donando vitam, & esse , & tamen tanti beneficii obliviscimur. Anne major misericordia censembitur , opitulari quo vivamus , quam dare ipsum vivere ? Quantò quis magis eget , et si parum detur, pluris æstimatur, quam cum plus donatur minus indigenti. Deus cum summè egebamus , utpote qui nihil habebamus , quia nihil eramus, non parum aliquid

Aprilis.

Tessera.

317

aliquid dedit , sed totum , quod sumus.

III. Vel ideo, quia unico momento te in vita conservat ; licet pro illo millies vitae jacturam faceres , non illi satisfaceres. Quod si pro beneficio minimo , sic Deo es obstrictus , ut te totum etiam infinites debes ; quomodo pro aliis maximis , & plurimis satis facies ? Te totum debes ei , quia se totum dedit tibi : te totum debes , quia in te impendit suam Omnipotentiam , occupavit Misericordiam , adhibuit providentiam , fatigavit sapientiam , usurpavit Bonitatem . Te totum illi debes , quia se totum tibi dedit , non invitè , sed libenter , quia ultro , non rogatus , quia sponte , non coactus : quis dedit se amando , quia eligen- do inter infinitos : quia dedit prævidendo post be- neficia maxima te fore maximè ingratum . Si toties te illi debeas totum , ob unicum beneficium : da saltem partem illi ob infinita beneficia ; da saltem illi cor , à quo , ut posses dare , accepisti : & cùm singulis mo- mentis te conservet in vita , & prætervet à culpa : sin- gulis momentis te totum Deo infinites debes . Quod si tantum sit minimum Dei beneficium , ut toties te illi totum debeas , quid propter immensum benefi- cium Redemptionis ? quæ tantum excedit Creatio- nem , quantum Deus excedit hominem : in Creatio- ne enim , te dedit tibi , in Redemptions se tibi dedit , & te restituit . Sed quid dicam , quisque magis est cu- pidus beneficii accipiendi , quam reddendi , juxta il- lud :

Clandatur ad dandum vola , panditur ad capiendum.

27.DIES